



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies
Distribvtis**

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Victorinus Conf. 8. Iunii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

insusurrantem à magni sceleris apparatu abduxit, fatentem postea certum sibi fuisse, nuptiales ludos jurgiis, & multâ cæde finire, nisi à ROBERTO esset interpellatus. Sub annum M. C. LIX. mortuum Godricus familiaris ejus ignei globi specie à tribus Angeli*in*ferri cælo vidit, allatrantibus ponè stygiis larvis, plusquam caninâ impudentiâ, utique si talis prædæ spem neque illo rerum articulo depo-suerunt. Nobis quid fiet, qui nunc his belluis col-ludimus, & neque fuscinam satis neque sportam prædatoriam timemus? *Ex Surio.*

Cogitatio omnis secularis & carnalis tempore oratio-nis abſtebat, nec quidquam animus, quām id ſolum cogitet, quod precatur. Claudatur contra adverſarium peccatum, & ſoli Deo patens nec ad ſe hōstem Dei tempore orationis patiatur accedere. S. Cyprian. de orat. Dom.

S. V I C T O R I N U S C O N F . 8.Iunii.

Recetè olim pronunciatum est, utcunque rara ſit inter homines innocentia, plures eſſe, qui ab ēa nunquam diverterint, quām qui ſerio rever-terint. His tamen tam paucis VICTORINVM accen-seas licet magnum pœnitentiæ miraculum. Romę natus cum Severino fratre Camerinum diſceſſe-rat, tutiſſimum vitæ genus, vitato omni humano conſortio, aggressus: ſed quod mihi aſylum dabis, quod non dæmonis improbitas perrumpat? Is vultum habitumque feminæ mentitus nocte in-tempſtâ VICTORINI tugurium aureſque lamentis opplevit, dignaretur tecto ultima pericula me-tuentem, neque prædam ſe feris objiceret. Pecca-turus in humanitatem ſibi VICTORINVS videba-tur, ſi ad has preces obsurduiſſet. Recipit ergo dæ-monem hōpitio, ſed ſub larvâ tam bellâ latente, ut

ut ille hominum osor hujus amore captus sit. Conflagrantem facibus fœdæ cupiditatis personata lena deseruit, intellexitque miserrimus amator, qualis illecebra Deum sibi mentemque eripuisset. Jus deinde sibimet dixit, immissaque intra diffissæ arboris rimas manu, revulsis cuneis, arctè iterum coëunte truncō, inusitato cippo miserabilis se captivus induit; stetitque sic affixus triennium integrum; Dominicis dūntaxat diebus panem & aquam è Severini manibus libare solitus; cùm deignum jubente Camerinensi Episcopo, emortuam ab inaudito carcere manum, utique conciliato Numine, recepit. Audite peccatores. VICTORINVS momentum unum trienni supplcio vindicavit; nos ævo continuo peccamus, & vix momento resipiscimus. Ex Phil. Ferrar.

Inanis est pœnitentia, quam sequens culpa coinquiat: nihil profunt lamenta, si replicentur peccata. Nihil valet de malis veniam poscere, & mala de novo iterari.
3.August.in soliloq.

S. MEDARDUS EP. 8.Iunii.

Nolit fortasse à Gildardo gemello suo sejungi MEDARDVS, cum quo ita communia habuit omnia, ut eodem die ambo nati, ambo denati, ambo sacris infulis induiti sint: leges tamen hīc seorsim de MEDARDI pueritiā paucula, de Gildardo paria cogitabis. In splendidas opes natus unicum earum usum noverat, liberalitatem. Prætextam suam cæco largitus, ad matrem propè nudus recurrat, gestiens quod tantillâ veste Christum induisset. Equorum custodiam cum ultro sibi de poposcisset, unius abducendi copiam egeno viatori fecit; ejus jacturam cùm pater acerbè ferret,

gregem